# DEO OPTIMO MAX.

## UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

# QUÆSTIO MEDICO CHIRURGICA,

*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigeſimâ-tertiâ menſis Februarii. An. Domini M. DCC. LXVIII.*

M. AUGUSTINO ROUX, Regiæ Societatis rei Agrariæ, necnon Regiæ Scientiarum Academiæ Burdigalenſis Socio & utriuſque Pharmaciæ Profeſſore, Doctore Medico, Præſide.

*An in Cachecticis quibuſdam liceat, in aliis minimè magnas operationes Chirurgicas peragere.*

I.



PAUCI ſunt morbi ex naturâ ſuâ incurabiles, pauciores lethales, pauciſſimi tandem quibus non noverit ars Medica mederi. Ecce tamen eâ quâ valet in Gallicis tractibus peritiâ & aliarum nationum artificibus præſtat Chirurgus, minoris modò, modò majoris momenti operationem inſtituit, mox ſe novum morbum priori tantum addidiſſe advertit ex accidentibus neque prævifis neque facilè ſupponendis, quandò ab operatione non pendent. Nunc verò in alio ſubjecto operationem tardiùs peragere ſuadent rationes plurimæ: Præparatoria auxilia adhibet Medicus, hoc vel illud ſanguinis, lymphæ, aliuſve humoris vitium emendare intendit, dum urget ex aliâ parte operationis neceſſitas. Quid agendum? ſæpè curtæ huic medicamentorum ſupellectili dùm ſtudes, in pejus ruit æger ex parte morbi operationem requirentis. Si verò vix ſopitâ humorum diatheſi peragatur operatio, metuendum eſt ne idem recrudeſcat morbus cui mederi priùs intenderas, & novas vires acquirat eundo. Viribus tandem exhauſta organa quam recipiunt materiam peſſimâ metaſtaſi à parte affectâ accedentem diutiùs fovent, dùm ipſamet pars parùm levatur quià exhauriri non valet: hinc ſenſim ſerpit malum, univerſalius fit & vergit ad exitum qui ſæpiùs arti tribuitur quam neſandæ fortunæ. Nunc bilis, nùnc pituita, majori quam par eſt, quantitate gignuntur aut cruor abundat nimis? quandoque melancholicus & ipſimet atrabilarius aut vitreus humor ſoboleſcunt; tot denique vitiorum generibus inficitur lympha quot ſunt formæ modi. Nec ſat eſt primarios illos, ſecundarioſve humores quantitate, qualitate, motu, praviſque illorum vitiorum innumeris effectibus peccare, & illa omnia à non naturalium rerum abuſu accerſita, tandem præternaturalia facta, inſtante operatione, Chirurgi manum retinere: His ſæpius adduntur doloſè ſubrepentes magni momenti morborum reliquiæ à ſcorbuto, lûe venereâ, aliiſque cauſis pendentia vitia, eaque proteiformia, vel ipſimet morbi à longo tempore exiſtentes, nullis tamen aut dubiis criteriis ſeſe prodentes qui majoris aut minoris operationis datâ occaſione ſuis effectibus pateſcent. Tam diverſa eſt natura ut apertè indicantia, clanculùm verò contrà-indicantia ſimùl ferat! Porrò noſtrum eſt conſiderare an ubi ſigna aut ſignis deficientibus, metus & ſuſpiciones alicujus ex illis vitiis habentur, ſimulque requiritur operatio Chirurgica ad curandum diverſæ ſpeciei morbum, liceat illam tentare. Invenimus alia eſſe vitia quæ Chirurgi manum retinere valent, in prædictis anguſtiis, alia verò eſſe quæ cuicumque voles, operationi numquàm renuent. Nec putes nos leviores humorum alterationes ſeù diſcraſias opponere permagni momenti vitiis. In medium è contrà ferre juvabit illas quæ curationes requirunt longiores, difficiliores, quarum ſpecifica nondùm ſatis conſtant apud Practicos, illaſque eis opponemus quæ ſpecifica nota habent hodierno uſû confirmata. Illis invitis poterunt inſtitui magnæ operationes Chirurgicæ, dum his exiſtentibus vulnuſculum cacoëtes aut lethale fit ulcus, echymoſis in apoſtema mutatur, multaque à leviori cauſâ mala accidunt concomitante pejori aliâ ægri diſ-

positione. Sat sit exempli loco, præter cacochymiam variolosam, arthriticam, &c., scrophulas indicasse quæ nec artus fracti reductionem, nec Lithotomiam, nec Christallinæ lentis extractionem aliasque ejusdem momenti Chirurgicas operationes institui non inhibent; dùm in Scorbuto, lûe vereneâ, aliisque in theseos decursu notandis, vix licet, illis non priùs curatis, etiàm parvam quam vocant Chirurgiam instituere, sive à prædictis morbis originem duxerit ille qui operationem requirit sive à causis aliis extrinsecùs advenientibus. Ecce primo intuitû patet nostrum argumentum, seù in quibusdam cacochymicis aut virû aliquo infectis licere, in aliis minimè, magnas operationes Chirurgicas peragere.

I I.

PRAVUS ille corporis habitus in quo non solùm fluida sed etiam solida corporis humani corrumpuntur cachexia vocatur. In illâ continentur cacochymia seù alicujus humoris naturalis & vitiosi simùl redundantia & virûs variæ speciei quæ ratione præsertim contagii (quod tamen in multis speciebus valdè incertum est) ab illâ differre dicuntur. Primus Hippocrates vel libri (*a*) cujusdam ipsi adscripti autor (Polybus vulgò recensetur) quatuor humores (*b*), bilem nempè, melancholiam, pituitam, cruorem, in vasis corporis humani contineri affirmavit (*c*), eosque plus minùs aliis abundantes aut à debitâ proportione recedentes, morbis originem dare recensuit. Illorum quicumque à naturali statu deflectens aut aliorum mixtelâ coinquinatus numerosiores simùl & compositos magis constituebat humores. Hinc flavâ bile, pituitâ aut serosis humoribus nimis refertum corpus ad atram bilem, pituitam vitream, aliasve cacochymiæ species vergere dicebatur aut ipsis laborare. Accessit Praxagoras qui decem diversos humores in sanguine contineri affirmavit. Sed si ulteriùs progrediamur, minus dein constat, ad usque Galeni ævum, quis locus, quisve honor illis humoribus tributus sit ab Antiquis Methodici enim vix ad illos attendebant. Pneumatici æthereo suo humori phænomena morbosa magis adscripsere. De illis apud Empyricos major facta fuit mentio, sed sine systemate ullo practico in his fundato. Vix enim hac in parte, primo illorum omnium autori anteponendi sunt, quamvis corrigentia humores & purgantia varia selegerint pro humorum diversitate. Calculum his omnibus addidit Galenus, eo quo valuit animo in Praxagoram insiliens, diu inquisivit signa quibus ille tantum humorum diversitatem collegerat, aut illa dudùm se frustrà inquisivisse declarans illius commenta irrisit (*d*), Prædictos à Polybo excogitatos humores recensuit iterùm & morbosis phænomenis applicuit. Illa verò omnia cum suis significationibus intacta huc-usque mansere, invitis nùnc Chymicorum nùnc etiàm quorumdam Dogmaticorum opinionibus. Quin imò sensim adauctus est eorum catalogus, aliundè Galeni principiis fultus, variorum autorum laboribus & sæpe commentis ditatus. Porrò primariis illis humoribus, quandò facti sunt morbosi, id est copiâ, aut qualitate, aut motû peccantes adscripta fuit vitia qualia sunt tenacitas, densitas, crassities, tenuitas, expansio, putredo, austeritas, glutinositas, acrimonia, excessus aut defectus (*e*) & alia quæcumque potuit invenire analysis magis ratiocinio quam observationibus innixa. Hinc non solùm universali massæ vel cuidam primariorum humorum generi prædictas dotes adscripserunt, sed privatis moleculis vitia tribuerunt quæ referuntur ad magnitudinem, figuram, pondus, cohærentiam inter se, consistentiam (*f*). Aliundè eadem spectata sunt vitia in morbosis humoribus proprium nomen habentibus quales sunt pùs, ichor, catharrosa diathesis, rheumatica, cancrosa, arthritica, scrophulosa, gangrenosa, venerea, scorbutica, &c. (*g*) In Chirurgicis operationibus ad illos humores respectum habuere Medici, ideoque præparantia varia invenere quibus delerentur morbosæ diatheses antequam novos morbos artis ope crearent. Cum enim ex suppurationis dotibus in plerisque Chirurgicis casibus, pendeat operationum successus, has dotes minimè obtineri didicerunt nisi sanum esset anteà corpus, id est, humoribus illis, quantùm par est, orbatum. Hìc enim bilis intendit orgasmum læsæ partis, fluidiorem sanguinem impetû rûere sinit aut cogit, suppurationis ergò labori obsistit. Illic pituita facilè fluxilibus illam partem humoribus alluit, quibus dives sanguis in ichorem continuò immutatur. Melancholicus humor tenax, facilè spiscescens motum partis remittit, vel quandoque intenso solidorum robore ruit in dirum pathema, partemque subitò ita afficit ut pessimæ dotis suppuratio exindè oriatur, nuncque vigeat nunc remittatur. Deficientis cruoris effe-

(*a*) Lib. 4 de morbis.

(*b*) De quibus tamen in aliis locis loquitur ipsemet. Hipp.

(*c*) Conf. Gal. de natur. facult. l. 2. c. 9.

(*d*) Galen. de dign. puls. l. 4. c. 2.

(*e*) Gorter. Chirurg. repurg. l. 1. c. 4. p. 20. Astruc Tractat. Pathol Boerrh. Institut.

(*f*) Conf. eosd. ibid.

(*g*) Gorter. lib. cit. p. 7-20.

ctus referre haùd necesse est, redundantis mala considerare inutilius. Quid valeat in inflammatione intendendâ satis constat, & illa cum pedissequa sit plurimarum operationum, sempèr, ad sanguinis copiam, rarescentiam, motum attendere jubet experientiâ innixus usus. Faciliùs ex signis ab affectâ parte desumptis colligitur sanguinis copiam aut defectum curationi officere, & usû tantùm ad alia signa coindicantia recurrimus: ast aliorum humorum redundantiæ difficiliùs deteguntur, signa magis à præhabitis ante morbum, morbi indole, temperamento, idiosyncrasiâ, juvantibus & lædentibus, demùm à generalioribus fontibus plusquam à parte affectâ ducere cogimur, quià non semper æquè patescunt signa topica. Sed non sufficit Medicum eas perspicere cachochymias; aliæ enim dantur periculosiores, scorbutica nempè, venerea, cancrosa, gangrenosa, & si quas alias invenit infida natura! Nescit ars sat citò & tutò illis mederi simulque operationem peragere ad curandum aliûs generis morbum. Reverà si earum originem, progressus, malitiam spectemus, medentium timorem satis superque fundatum videbimus, quandò magnas debent operationes peragere. Virus venereum in ipsomet suo exortu tamquàm pestis habebatur (*b*), sed vix analogia quoad propagationem inter illos morbos institui potest, cum pestis aliquandiù ingruens tandem per annum remittatur, vix per sæcula mille circulum orbis integrum agens. Ast illud celeri cursû raptum tot statim percurrit regiones diversas ut natalis loci vix meminerit, & deinde tamquam endemium undique radices egit. Scorbuticum vix priscis notum in tot etiàm quot illud regionibus diversis prodiit (*i*), inclementiâ cæli & soli ubique ortum (*k*). Gangrenosum virus, non illud quod a validâ inflammatione tamquàm causâ continente ortum ducit, sed spontaneum aliud quod sensim nùnc artus nùnc viscera rodit sine prægressâ ullâ inflammationis suspicione, quin imò sinè prævio dolore, etiam difficultatibus in medicâ praxi oriundis sese obtulit. Quis non vidit illud, quamvis non quotidiè obvium, ali uot tamen annorum serie quandoque revisendum Medicis, mortes subitaneas produxisse; subitaneas, inquam, ad sensum, namque diù moras trahit in corpore antequàm vita cum morte commutetur. Senium inducitur à parcimoniâ, pravo victu, metû, tristitiâ, senili ætate (*l*); melancholicos faciliùs adoritur & eos qui longo non solùm venenosorum sed & ipsorummet vulgarium medicaminum usû, qualia sunt aperientia, cathartica, &c. abutuntur. Namque humorum fluxilitati nimiæ, dissolutioni, virium vitalium defectui, à quacunque causâ oriantur illa vitia, originem debet. Cachexias varias æmulatur, præsertim in melancholicis, ægros ad mortem subito ducit syncope apoplexiam æmulante nùnc mediâ in cænâ, nùnc tempore somni, nunc per actionem cathartici etiàm levioris, cui si accedant convulsivi illi naturæ ad finem vergentis motus, de veneno clamant adstantes. Illud verò partim ab irritatione, partim à pravâ humorum diathesi pendens mortem subitaneam produxisse observaverunt qui vesicæ partem gangrenâ affectam reperiere in cadaveribus, etsi morbus ille suis criteriis non sese ostendisset ante lithotomiam. Iidem in mediâ Chirurgicæ operationis curatione locum habere potest, uti in ædematosis, hidropicis, &c. Illa humorum crasis non adhùc definita quæ cancros pullulare facit, ità infensa est ut uno avulso non deficiat alter (*m*), (si præsertim inveteravit illa à quacumque causâ orta sit) totamque infusa per artus agitet sanguineam massam. Minoris sanè essent momenti prædictæ diatheses si semper qui sufficit Medicus ad cognoscendas illas etiàm ad curandas sufficeret aut vice versâ, aut tandem, si cognito morbo, huicque convenienti remedio, nil aliud curationi obstaret. Multa ergò prænoscenda antequàm magna peragatur operatio, vel si quandoque repentinam illam imperet mortis aliàs imminentis metus per curationis stadia, his etiàm affectibus medendum. Sed sæpiùs quandò alii medeberis simptomati, alteri officies, tanta est complicationum in morbis diversitas! Nihil ergò in Chirurgicis morbis tam difficile quam curabiles à lethalibus morbos distinguere. Hæc rursus difficilia multùm cum tam in signis quam causis morborum indagandis valdè dissentiant inter se autores. Sit in exemplum scorbutus: vix affecti oris in hoc morbo meminit Eugalenus (*n*): scorbutum oris tamquàm labis scorbuticæ generalis signum Pathognomonicum habet Lindius (*o*). Aliundè maculas spontaneas pulicum morsui similes vel latiores, vel gangre-

(*b*) Astruc, de morbis venereis, tom. I. p. 119.
(*i*) Lind. Traité du Scorbut, tom. I. p. 2. suiv.
(*k*) Id. Ibid. p. 138.
(*l*) Van-Swiet. Comment. de Gangr, & Sphacelo, t. I passim.
(*m*) Van-Swiet. l. c. de Cancro, aliosq. omnes consule observatores.

(*n*) In primo quidem lib. sui. cap de illo loquitur, p. 6. sed postea in observationib. illud signum prætermittit. Conf. de morbo Scorbuto lib. 16, 8. in-12.
(*o*) Traité du Scorb. tom. I. pag. 200.

nam aut in artubus aut in aliâ corporis parte ſcorbuticam videbis ſine oris fœtiditate ullâ, gingivarum lividâ tumefactione, demùm ſcorbuti oris ſigno ullo. Ad quam tunc claſſem reduces morbum? Signa demitte & cauſas indaga. Ille victûs pravam indolem, parcimoniam, ingeſta ſalita, acria, ſcorbuticæ labis cauſam efficientem eſſe affirmabit (p), alius cauſam conjunctam & ſimul aëris temperiem frigidam & humidam pro efficiente habebit (q). Tamen ſinè prægreſſâ tali aëris conſtitutione, maculas videbis ſcorbuticas, livido, atro colore, ſenſûs defectû gangrenam æmulantes, eaſque cum Leipothymiis, diſpneâ quotidiè augeſcentibus plùs minùs feſtinanter ad mortem ducere ægros ſcorbutum oris nullum habentes. Ecquid aliud te docuit ſanguinis inſpectio, etiàm in cadaveribus? Nunc ſanguinis diſſolutionem, nùnc ſpiſſitudinem (r). Hæc quidem communia cum aliis morbis habebit ſcorbutus, hæc etiam diverſa habebit variis ſuis temporibus (s). Sed in anguſtiis rei extans ad morbum confirmatum accedo invitus. Quantumvis ille tunc diverſis ſe ſignis prodat & oppoſitis cauſis gignatur, de ejus exiſtentiâ ſatis plerumque conſentiunt Medici. Aſt non ità explicita, quandò magis urget neceſſitas, apparent morborum ſigna. Ecce fiſtulam ani indomabilem, operatione ſemel inſtitutâ. Quæ creſcunt quotidiè carnes, quæ apparet ſuppuratio, mali ſunt moris; accedit febricula mitiùs ſed certiùs depaſcens ægrum. Præhabitis illis quæ viſcerum abdominalium infarctus, ſi qui ſint, reſerandi vim obtinuere & deinde amarorum, adſtringentium, corticis Peruviani præparationibus omnibus, præmiſſis demùm variis conatibus, tandèm ad rationalia ſigna recurrere cogimur, namque morbus cui jam peractâ operatione mederi intendebamus, nullum ex ſe latens ſignificat virus. Prodeunt metus & ſuſpicio, viginti ab hinc annis diſcimus ægrum illum gonorrheâ venereâ fuiſſe tentatum, & quantùm ex ipſius narratione colligi poteſt, rectè curatum. Quantùm tamèn in dubiis licet, ſi verè licet, ancipitem experimur mercurium, in pejus fuit æger quià ſcorbuto laborat, tandemque à lædentibus ad juvantia ducimur, ſed tarde nimis ad ſpecifica morbi remedia nos deveniſſe perſpicimus. Quanta tùm debeat eſſe Medici prudentiæ juncta doctrina, & ex experimentis ſæpiùs inanibus, aliquandò tutis facta experientia, neminem licet ambigere. Ex prægreſſis enim cauſis dubia plurima, ex ſignis quæ tùnc conſulere datur, adhùc majora oriuntur. Nec certiùs noſces morbi genus ex artuum nocturnis doloribus, ultimum vulgò refugium, quando quidem in ſcorbuto, lue venereâ, rheumatiſmo æquè inveniuntur & paſſim pro ſignis variorum morborum pathognomonicis habentur (t). Quid! quotidianæ febris Rythmum per annos ſervaviſſe vidimus artuum dolores qui noctù evaneſcebant (& adhùc videmus) in malè curatâ priùs lûe venereâ. Similes verò anomalias in arthritide, aſthmate, aliiſque chronicis morbis quis non vidit? Quid ergò in mediâ Chirurgici morbi operatione in quâ ſæpiùs tantùm premunt temporis anguſtiæ, tentabis anceps naturæ morbi latentis? Operationem ſi peragas, mox inſtante ægri letho, virús quandam ſpeciem accuſabis, ſicut in acutis febrim malignam, quandò malè ſuccedit curatio, non deſinis accuſare. Utriuſque non inficias ibo exempla dari, quamvis affirmaverit magni nominis autor (u) febrem malignam eſſe raram in terris avem, & audaces videamus alios, nullo habito reſpectu ad ægri diſpoſitionem, magnas operationes ſine morâ peragere. Frequentiùs tamèn cauſas illas in medium proferre, ne accuſetur induſtria, malum; illas omninò negligere, ut extollatur induſtria, pejus. Quantùm ergò illæ agant in corpus, quæ ſinant magnas peragi operationes Chirurgicas, quæ verò operationum ſucceſſui poſſint officere, ulteriùs conſideremus.

III.

PESSIME in cacochymicis corporibus quæ naturalium humorum redundantiâ laborant magnas imò & parvas operationes Chirurgicas quandoque ſucceſſiſſe probant experimenta. Sat ſit exempli loco protuliſſe leves ſcarificationes quæ in hydrocele, anaſarcâ, ædemate peraguntur, quæque gangrænam quandoque accerſunt (a). Ità in aſcite paracenthesim quandoque præcedit gangrena, & operationem aliundè utilem infamat. Sed ſi alius generis exemplum requiras, Ictericum diuturnum conſidera, ani fiſtulâ tentatum, vaſorum abdominalium infarctu, meſenterii, hepatis, aliorumque viſcerum obſtructionibus refertum. Ille ſanè ex inſtitutâ operatione

(p) Eugalen. lib. cit. cap. 1. pag. 3.

(q) Lind. loc. cit. pag. 144.

(r) Traité des Maladies des gens de mer, par M. Poiſſonier, p. 65 & ſuiv.

(s) Id ibid.

(t) Conf. David, Abercrombii. Tuta & effic. curandæ luis venereæ method. Aſtruc, de morb vener. Lind. Traité du Scorbut, & alii qui de hoc ſigno diſputaverunt.

(u) Paſſim fautoribus non carens Sidenh. Conf. ejus oper. omn. p. 370. & alibi paſſim.

(a) Sidenh. Oper. omn. p. 346. ubi agit etiam de veſicantium periculosâ applicatione.

in pejus ruet. Non minùs tamen conſtat cachochymiis illis vulgò artem mederi quandò in extremo non verſantur ægri, & ex numero caſuum in quibus bene ſucceſſere ſive prædictæ ſive aliæ operationes concludendum ſanè eſt illas rariùs contraindicari à cacochymiæ biliosæ, melancholicæ, pituitoſæ variis ſpeciebus. Idem dicendum de cacochymiis quibuſdam quæ proprio nomine donantur, quandò in aliis de quibus priùs loquemur, non eadem remanet ſpes. Itaque caries, exoſtoſes, car nomata venerea omnibus remediis ſuperiora ſunt, difficiliùs curantur, nec remediis aliis cedunt priuſquam uſû mercurii in meliorem naturam mutata fuerint (*b*). Majora his ſi fuerint vel minora ſymptomata, etiàm non niſi ſpecifico curabuntur. Sed obſervatum eſt aliundè media in Chirurgici morbi, amputationis nempè ob ſcloperi ictum, peractæ curâ, reſidendum fuiſſe quouſque vetus venereum virus nullo ſe prodens alio quam morbi diuturnitate criterio, demùm ablatum fuerit (*c*). A virû ſcorbutico callos oſſium priùs fractorum deleri viſum eſt, iterumque recrudeſcere fracturas quouſque curato ſcorbuto ſponte de novo agglutinarentur oſſa (*d*). Imò in nondùm confirmato ſcorbuto, ſed ſolùm incipiente callos in oſſibus nequaquàm formari poſſe mirabili exemplo confirmat Meadius (*e*). Perioſtium à ferè omnibus corporis oſſibus ſeparatum invenit Petitus in cadaveribus ſcorbuticorum (*f*). Epiphyſes ab oſſium corporibus ſeparatas, oſſeam coſtarum partem carie tentatam & in putrilaginem redactam fuiſſe refert Poupartius (*g*). A Partibus mollibus oſſa, ipſorumque ſubſtantiam ſpongioſam citiùs pervadit morbus ille quandò ablata eſt eorum lamina externa (*h*). Muſculi gangrenâ affecti & ſanguine nigro-putrido pleni reperti ſunt (*i*). Vulnera poſt quinquaginta annorum ſpatium recrudeſcere inceperunt (*k*). Demùm ſi hujus morbi obſervationes, naturam, ſymptomata, ſolidorum & fluidorum indolem conſideremus, conſtabit ſanè in ſubjectis ſcorbuticis periculoſas imò lethales eſſe magnas operationes Chirurgicas. Nec mirum cum etiàm minores periculoſæ ſint: namque obſervatum eſt contuſiones & leviora vulnera in diuturniora ulcera degenerare (*l*), veſicatoria gangrenam inducere (*m*), ſolam faſciarum ope partium deligationem etiam gangrenam producere (*n*), illamque fungos in fundo ulcerum nycthemeri ſpatio gangrenoſos reddere. (*o*) In gangrenâ humidâ nullum eſt gangrenoſum virus ante validas in mollibus partibus contuſiones, ante vaſorum compreſſiones in artubus luxatis, fractis, antè ſubitaneam inflammationem à cauſis tum externis, tum internis productam, tuncque ſcarificationes, amputationes, aliaque auxilia morbo debellando idonea ideò utilia ſunt quià partes vicinas liberant à compreſſione quam inducebat pars affecta. Sanguis equidem putreſcens, reſolubilis, alkalinæ indolis ad illud tandem tenuitatis punctum accedere poteſt ut vaſa libera permeet, & virûs officio fungatur, ſed citiùs hominem interimit. Namque à tempore ceſſationis dolorum ad uſque proximum agonem delirare incipit homo, facies ſubitò immutatur, frigeſcunt artus, pulſus languidior eſt, crebrior, myurus aut intercurrens, ſtatus omnium functionum tranquillior lubricus evadit. Præſtantia ergò remedia, auxiliaque è Chirurgiâ petenda retardare malum quandò virus non abſorptum à partibus vicinis aut fortè vix formatum eſt. Illo enim exiſtente in maſsâ ſanguineâ, prædicta ſymptomata citiùs accedunt & inutilis eſt operatio. At verò in gangrenâ ſiccâ quæ excitatur apud exhauſtos, ſenes, pravo victu nutritos, &c. è longinquo paratur virus, ſenſim fatiſcit ſanguis, reſolvitur, putridus evadit, latens demùm ſub cineribus ignis erumpit & à partibus debilioribus aut à centro motûs diſſitis tandem ad ipſummet centrum vadit. Quandoque accedente motu majore fit veluti criſis virûs illius in parte jam affectâ ubi limites figit malum, organorum pravam materiam repellentium vices agunt cor & arteriæ, augetur vis omnium vitalis, accedit ſuppuratio propè mortuam partem in circulo à naturà inſtituto (*p*), tuncque licet artùs amputationem adhibere (*q*). Si verò limites non adhuc poſuit gangrena, ſuppuratio non inchoata eſt, demùm prædicta ſalutis non apparuere ſigna cum aliis quæ vulgò ſolent bonum corporis ſtatum indicare, metus eſt ne peragendam amputationem excipiat mors;

(*b*) Aſtruc, de morb. vener. tom. 1. lib. 2. c. 11. p. 224.
(*c*) Bagi u. Examen de quelq. Points de la Chirurg. t. 2.
(*d*) Lind. Traité du Scorbut, tom. 2. p 342.
(*e*) Apud Lindium, tom. 1. pag 460.
(*f*) Traite des malad. des os, nouv. édit. t 2. pag. 443. ſuiv.
(*g*) Acad. Roy. des Sc. Mem. pag. 238. ann. 1699.
(*h*) Lind. t. 2. p. 331-460.
(*i*) Id. ibid. p. 434.
(*k*) Id. Ibid. pag. 349.
(*l*) Id. ibid. t. 1. p. 204.
(*m*) Murræus apud Lindium, t. 1. p. 211. not. E. & ipſ. Lind. pag. 364.
(*n*) Lind. lib. cit. t. 1. p. 367.
(*o*) Id. ibid.
(*p*) M. Boucher, ſuite de la Lettre du mois de Nov. Merc. de France p 155.
(*q*) Id. ibid.

quià virus diffusum est in partibus vitalibus, præsertim arteriis quæ sine motu repertæ sunt etiàm post ter institutam operationem in partibus vivis (*r*). Et reverà non idem est naturam aut artem membri amputationem facere, nisi ars perfectè naturam imitari noverit, seù nisi existentibus omnibus perfectæ crisis signis ad operationem sese accingat (*s*). Unde potior illa methodus quæ diù vires vitales & expultrices urget, circuli formationem & suppurationis vigorem intendit. Quæ si vera sint, remanet magnas operationes peragendas non esse quamdiù virus gangrenosum omnia permeat corporis vasa. Observationum defectû ratio suadet magnas operationes minimè peragendas esse dum viget in corpore Cancrosum virus. Constat enim sæpiùs ablatione cancri institutâ mox recrudescere malum, qui reditus illud in totâ sanguinis massâ residere probat. Pateret sanè tali morbo existente in quadam parte corporis magnas posse peragi operationes ad sanandum aliùs speciei morbum, si reverà constaret virus cancrosum in suâ propriâ sede manere. Sed observata probant illud quandoque leviori causæ ortum debere sive sedem habeat in glandulâ, sive fungi instar increscat, uti post fissuram à frigore productam in labiis accidit. Itaque quis negaret peculiarem fluidorum crasim ad illud ducere malum, sed quod pejus est, sæpiùs manca sunt signa prædictæ crasis. Hinc pessimum semper prognosticum feret Medicus de statu fluidorum in ægro cancroso. Periculosa sane esset amputatio membri, quandò inveteravit cancer nisi cauterii vices potius ageret ille quam vulnus ex amputatione peractum. Quod cum valdè incertum sit, ne dicam verisimile parùm, liquebit cancrosum virus magnas contra-indicare operationes Chirurgicas.

Huc-usque ratio, observatio, analogia in eundem finem concurrere visæ sunt. Sed mirum visu! Aliæ sunt cacochymiæ ex insigniorum numero, quibus non obstantibus, sine ullo periculo institui possunt magnæ operationes Chirurgicæ. Ità virus scrophulosum, quamvis eandem habeat analogiam cum illis de quibus diximus cacochymiis quam illæ habent inter se, non tamen Chirurgicis operationibus adversum est. Unde si altiùs procederet analogia in omnibus illis morbis, tandem in errorem duceret medentes. Reverà virus scrophulosum convenit quoad morbi magnitudinem cum venereo, scorbutico, cancroso: æque morbus fit veluti genuinus ægro quem in puerili, adultâ, senili ætate variis divexatum symptomatibus ad mortem ducit. Senescens cum ægro tumoribus variis glandulosis in collo, inguinibus, artubus, &c. locum dat: perennioribus oculorum morbis, scilicet defluxionibus, ophtalmiis, glaucomati, cataractæ obnoxios facit ægros. Phtysim gignit, glandulosos infarctus ubique in interaneis producit, pulmonibus præsertim & mezenterio: ossa ipsa dirâ carie rodit (*t*). Sicùt inflammationes, febres, morbos chronicos diversæ indolis producunt scorbuticum virus & venereum quandò raptim aut lentiùs è cineribus suis exurgunt, ità illud in anginâ vidimus, post remissam cum inflammatione febrem, dolores & tumorem producere in utriusque manûs digitorum articulis quos sciunt omnes scrophulosâ materiâ præ aliis partibus affici, sicque sensim peractâ crisi terminabatur angina. Illi morbi diversis temporibus in orbem irruere sed quandò sibi occurrerunt novas à se invicem mutuati sunt vires. Attamen analogiam toties decantatam silere videbis quandò eorum omnium curationem respicies. Mercurius luis venereæ domitor scrophulas etiàm curabit modò sint filiæ conspurcatæ Veneris. Vulgare erit è contrà remedium, facilè aliis locum cedens si morbus ille luis venereæ non sit proles, sed hereditarius, variolosâ labe productus, ex ætatis revolutione ortus, vel tandem sex rerum non naturalium abusû quomodocunque adventitius. Attenuantium, incidentium, aperientium vices, scopum verò aut difficulter, aut nunquam obtinebunt antiscorbutica. Tonicis, spirituosis, alexiteriis ad gangrenam commendatis non parebit ille morbus. Anodina, hypnotica in cancrosâ labe adhibita, si scrophulis interius aut exteriùs applicentur, nil boni afferent. Quin imò Phtysium lenitricibus lacticiniis propriâ vi minùs curatricibus, minimè levabitur ipsa scrophulosa phtysis (*u*). Sed majus adhuc est discrimen inter illos morbos quandò de operationibus Chirurgicis agitur. Ità vidi in scrophulosis optimè successisse cataractæ operationem, cruris amputationem, lithotomiam: has quidem semel in prædictâ ægri dispositione, illam verò pluriès peractam observare contigit, nec majora accessere incommoda quam si in subjectis omninò sanis peractæ fuissent illæ operationes.

(*r*) Garengeot, Traité des opérations. tom. . p. . Swieten, tom. 1. de Gangrenâ. Boucher, litt. jam cit. ejusd. ferè speciei casum refert.

(*s*) Conf. in utramq. partem. Sharp. Recherches critiques, &c. Bagieu. lib. cit.

(*t*) *Vide* Charmetton, Traité des Ecrouelles, *in*-12. 1755. ubi multa alia reperies scrophularum symptomata.

(*u*) Morton. oper. omn. de Phtysi. scroph. cap. 1. p. 82.

Solum modò in amputatione carnes paulò flaccidiores erant quam vulgò accidit, pûs paulò tenuius, sed remissiores erant febris & inflammatio. Quod quidem præstare puto : habemus enim in promptu remedia quibus intendamus tonum partis affectæ, ideoque majorem inflammationem, si opus fuerit, urgeamus, cum è contrà inflammatio vividior spontanea sæpiùs periculum afferat in casibus adeò lubricis. Qùoad catharactæ operationem, sat frequenter in scrophulosis tentari necessum est, qui oculorum morbis (x) obnoxii sunt. Optimè successit illa quam peragi vidi ut & lithotomia in alio scrophuloso. Ultimæ huic nostræ observationi favet experimentum D. *Hoin* Chirurgici Divionensis. Ille anno 1759 calculum è vesicâ eduxit puero sex annos nato. Urgebant operationem dolores vividiores, contra-indicabatur illa, sic loquente Chirurgo, tumoribus scrophulosis in utroque colli latere acervatis. Sed metus erat ne ante scrophularum curationem periret æger, proindè Lithotomia peracta fuit 12ª. ejusdem mensis die. Priùs ille æger quam alii eadem die secti, curatus fuit, imò nec per totum morbi decursum, febre laravit (y). Arthritica diathesis (& à fortiori Rheumatica) æquè sinit ac scrophulosa magnas peragi operationes Chirurgicas. Illa enim quandò inveteravit calculum producit qui Lithotomiâ æquè curatur in senibus ac in aliis. Sed in illis etiàm partibus in quibus sedem ponit nullum offert periculum quandò de operatione Chirurgicâ agitur. Accepimus enim in arthritico 62 annos nato qui à 25ᵉ. annis ter aut quater quolibet anno per duos menses, arthritide laborabat, feliciter & sat brevi tempore occalluisse ossa cruris fracta cum diastasi quamvis ante casum ab arthritidis paroxismo vix liberatus esset æger imò & fracturæ curatio paroxismum revocaverit. Alia cacochymiarum genera propriis nominibus donata, qualia sunt pûs & ichor, cum sint effectus aliorum morborum quorum natura priùs respicienda est, prætermittemus. Ità etiàm cacochymiam variolosam, herpeticam, scabiosam, lacteam, &c. cum minoris sint momenti, quoad finem quem intendimus, quam illæ de quibus priùs diximus, etiàm prætermittere juvat. Illas enim non respicimus tanquam in extremum degeneratis quo in casû comparandæ etiam essent cacochymiæ biliosæ, melancolicæ, pituitosæ variis speciebus quæ tandem quandoque morbos absolutè lethales ex se producunt. Agitur apud nos de casibus sanè lubricis sed non ità malis ut citissimam mortem producant. Nec erit dicendi locus de Elephantiasi cum ille morbus parùm notus ex toto ferè orbe nùnc exulaverit. Satis sit cognitis magnarum operationum periculis, juxtà cachexiarum naturam, ejusce diversitatis causas indagare.

## I V.

PATEBIT sanè ratio discriminis priùs indicati, si attendatur humores omnes morbosos; quandò peccant quantitate, motu, & qualitate in ordinibus ad crasim & consistentiam diversa necessariò edere producta aut effectus varios. Quandò enim humores naturales spontè facti sunt morbosi seù principia illorum in vitia degeneraverunt, variæ exurgunt intemperies, si cum antiquis nomine convenire placeat, quales sunt pituitosa, melancholica, biliosa quæ ad sanguinis massam referuntur. Itidem orientur cacochymiæ variæ, scrophulosa nempe, arthritica si lympha seù succus nutritius admodùm quantitate, motu aut qualitate peccet. Sed illi humores à naturali statu sponte seû propriâ vi deflectunt & abusû sex rerum non naturalium. Si à prioribus oriatur causis depravatio humoris nutritii, in quibusdam solùm accidit circumstantiis quales sunt ætatum variæ mutationes, quandò morbi quidam malè curati sunt, imperfecta fuit crisis, variolæ in scrophulas desierunt, aut quandò senilis ætas subactionem materiæ omnis nutritiæ perficere non valens, illam materiam in articulos majori, quam par est, quantitate ferri sinit & arthritidi locum dat. Si ab abusu sex rerum non naturalium prædicta oriatur humoris nutritii depravatio, tunc diversis accidit temporibus, definitis periodis minùs adscribitur quam in primo casu. Consideratâ nunc differentiâ variarum cacochymiarum facilè deduces eas esse eo magis periculosas quo humorum depravatio magis recedit à statu in quem humores facilè, levi de causâ, aut ex se abeunt. Hincque facilè patet venereum virus scrophuloso periculosius habendum & absolutè & quandò peragendæ sunt operationes Chirurgicæ. Sed adhuc majus est periculum depravationis spontaneæ humorum, quando illi ad dissolutionem potiùs vergunt quam ad spissitudinem, hincque patet discrimen periculi inter varias etiam à statu naturali minùs recedentes cacochymiarum species. Æquè conveniunt cum homine, servatâ tamen morbi magnitudinis ratione, intemperies scrophulosæ, arthriticæ, herpeticæ, &c. ac biliosæ & pituitosæ

(x) Charmetton, lib. cit. pag. 44-82.

(y) Mercure de Décembre, année, 1759. p. 180.

Etenim in ſchrophulis adeſt ſingularis vergentia ad lentos & tenaces humores, & ſuccorum præſertim glanduloſorum tenacitas accidere videtur ab acido prædominante. Quod cum acidum à naturali ſtatu minùs recedat, inertius ſit ob remiſſum humorum motum in illo morbo, lymphæque ità irretitum ut non niſi ſenſim & ſine ſenſu extricari poſſit, aliis humorum actionibus non officit quæ requiruntur ut benè ſuccedat operatio Chirurgica. Idem affirmabis de cacochymiâ arthriticâ, rheumaticâ, varioloſâ, lacteâ, herpeticâ quarum aliæ pro causâ nullum habent exuberans acidum & à ſolâ humorum tenacitate cum redundantiâ pendent, aliæ verò ſcrophuloſam diatheſim æmulantur aut virus ipſi affine habent, quæ cauſa eſt cur in illam ſæpiùs deſinant. In labe venereâ è contrà, acidum priùs heterogeneum, motibus quos ipſummet excitat, perículoſius factum, malas ſemper corpori injurias fert. Eadem accidunt in cancroſo virû quod fluida omnia in conſenſum trahit & eò citiorem diſſolutionem inducit quo plus remediis vel ſponte excitatur. Scorbutica tandem & gangrenoſa labes diverſas à prædictis cauſas agnoſcunt, alkalino-oleoſis principiis, quas aſſequuntur partes, ne dicam totum corpus, inducunt ad putrilaginem quæ cum ſit omnibus Chirurgicis operationibus infenſa, non mirum prædictas labes earum ſucceſſui officere & pericula augere.

V.

INDUSTRIÆ humanæ limites vix poſuiſſe videtur benevola natura, eique præſertim Medicinæ parti quæ docet corporis noſtri affectibus manû mederi. In illâ tamen parte, ut & in aliis, multa ſunt præjudicia quæ niſi paulatim excutiantur, vix ſperandum de ulterioribus ipſius progreſſibus. Tale illud eſt præceptum: *Nullam tentandam eſſe operationem quamdiù exiſtit quoddam in corpore virus.* Hùc, ni fallor, medentes adegit malè inſtituta analogia cui centiès repetitæ præſtat unicum experimentum, etiàm periculoſum. Nec ſufficit in hacce parte errores autoritate fulcitos per ſæcula viguiſſe & dogmatum loco habitos fuiſſe ut noſtra convellatur theſis. Illa enim autoritas nil aliud nobis imperat quam ſeverius ſcrutinium morborum in quibus ex inſtitutis operationibus, pejora mala accidere aut nulla, propter cauſas aliorum morborum in corpore latentes. Difficilior quidem eſt illa inquiſitio cum dogma prædictum melioris notæ obſervationibus ad illud ſpectantibus viam præciderit. Hinc tamen ne concludas nos potiora probationum genera non attigiſſe, cum, ſilente analogiâ, noſtris inquiſitionibus facem attulerint experimenta. Unde licet tandem ſic concludere:

*Ergò in cachecticis quibuſdam licet, in aliis minimè, magnas operationes Chirurgicas peragere.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Ambroſius* HOSTY.

*M. Anna-Claudius* DORIGNY.

*M. Bartholomæus-Tuſſanus* LE CLERC, *Conſiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Caſtelleto.*

*M. Joannes* MAC-MAHON, *Antiquus Exercituum Regis & Noſocomiorum Militarium Medicus, Regiæ Scholæ Militaris Medicus ordinarius.*

*M. Ludovicus-Joannes-Baptiſta* COSNIER.

*M. Ludovicus-Gabriel* DUPRÉ, *Sereniſſimi Principis Condæi Conſiliarius Medicus.*

*M. Franciſcus* THIERRY, *Regis è Salubri Conſilio, Regii Medicorum Collegii Nancei, Socius Honorarius Regiæque ejuſdem civitatis Scientiarum & humaniorum Litterarum Academiæ.*

*M. Hugo* CAPET.

*M. Antonius* PETIT, *è Regiâ Scientiarum Academiâ.*

Proponebat Pariſiis BERTRANDUS DUPUY, Arreenſis in Valle Aurenſi, Diœceſis Convenarum, in Univerſitate Toloſana Doctor Medicus, & Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus. Theſeos Auctor. A. R. S. H. 1768. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typgraphi, 1768.